

Doctrina ratio red- dita.

men iudicem non esse vt improbablee reprobandum. Idem autem viam hanc exonerandis conscientis apertam relinquo, quia restitutio est difficillima, postquam aliena substantia conuerſa est in carnem & sanguinem. Sit ergo ita grauatis compositionis perugium, ne percant, dum nulum restat aliud ad spem salutis concipiendam. Caciquis verò qui certi in damnificatione sunt, aliqua faciendâ restitutio, iis attentis, quæ illius quantitatem possunt verosimiliter indicare, docti alicuius Confessarij consultatione præmissâ. Circa secundum iam

Aſſertio 2. circa laborantes in textorio.

20 Dico secundò obligationem esse competentem, unde merces labori iusta soluenda. Neque locus compositioni, quia explorari facile possunt, qui in officinis prædictis laborarunt. Quod si incertum esset, illius beneficio uti liceret. Sed laborantibus, non Caciquis tradendum, quod deberi constitit: immò neque parentibus, aut maritis, quia nihil ad eorum manus ex tali subventionem perueniet. Adde non tantum communem soluendam esse mercedem, sed plus aliquid; vltroque siquidem operarij non sunt, sed inuiti, & clausurâ oppressi, unde maius debetur laboris pretium, iuxta communem doctrinam: de quo & dictum Titul. 1. num. 137. Iam circa tertium

Aſſertio 3. circa §. 9.

21 Dico tertio. Rationem esse claram ob fraudatam etiam mercedem: & præterea ob detrimenta rei domesticæ, quæ prudenter æstimanda pro compensatione faciendâ, neque enim ad vnguem possunt computari. Circa quartum

Aſſertio 4. circa §. 10.

Ex causa mortis que obligatio restitutio- nis.

Dico quartò non posse dubitari. Vbi & obligatio esse potest grauiſſima, si Indi ad prædicta compulsi, in regionibus illis moriantur, & vxores, ac filios, atque aliquando parentes etiam relinquunt miserabiliter indigentes. Qui enim horum causæ sunt, obligationem homicidarum subeunt, de quibus passim Doctores, & valdè accuratè post alios Cardinalis Lugo Tomo 1. de Iustitia, disp. 11. Sect. 4. De quibus etiam post illum P. Busenbaum in *Medulla Theolog. moral. lib. 3. Tractat. 5. de Septimo Precepto, cap. 2. Artic. 3.* & *Portel Tomo 2. Casu 54.* Certè vt cum omni rigore non debeat iste homicida censerì; æquiuolenter tamen talis est in ordine ad prædictum effectum. Sicut enim, vt arguit P. Vasquez *Tractat. de Restitut. 5. 3. Dub. 7.* qui per vim, vel fraudem impedit volentem mihi legatum relinquere, vel aliud beneficium conferre, ex iustitiâ tenetur totum illud damnum compensare, vt communiter Doctores affirmant: ita & homicida, cum per violentam actionem impediât ne alij habeant, quod ex debito aut liberalitate occisi erant habituri, debet ex iustitiâ damnum integrè compensare. Quam rationem ille iudicat euidentem; sicut & P. Mæratius *Tractatu de Iustitiâ, Disp. 26. Sect. 3.* & 4. Thomas Hurtadus *Tractat. num. 232.* & P. Turrianus 2. 2. Tomo 2. *Disp. 28. Dub. 3. n. 15.* & manifestum est in omnibus locum habere, qui iniustæ mortis causa sunt. Licet enim illa non plenè probetur Card. Lugo quoad omnes ab occiso pendentes; sicut nec P. Becano *Tractatu de Iure & Iustitiâ, Quæst. 14. de Restitutione num. 6.* in ordine tamen ad prædictos eandem completitur, ex quo, & etiam Trullench idem tenet P. Busenbaum *suprà num. 11.* & ita iuxta illum &

alios, obligationem restitutionis, qui causa est mortis, incurrat: non quia specialis causa circa modum, sed ex damnificatione; unde quomocumque accidat, tale onus incumbit. Pro quo P. Molina *Disp. 83.* & alij adducti à citato Cardinali n. 29. Iam circa quintum

Aſſertio 5. circa §. 11.

Ex causa remota dicitur non subesse obligationem restitutionis.

22 Dico quinto: non videtur esse obligationem restitutionis, quia impediri prædicta, ex quâ Indorum diminutio, est causa valde remota damnorum, de quibus ibi. Quando autem causa tales sunt, non videtur restitutionis obligatio subesse. Vt si quis sit causa abortus, non idè tenetur ad aliquid restituendum parentibus, quorum poterat fetus necessitatibus subuenire, quia id valde remotum est, & contingentiis multis obnoxium, & hanc doctrinam, adductis alijs, ingeniosè & solidè fundat Card. Lugo *suprà num. 79.* & *segg. & Disp. 8. Sect. 8.* ex quo P. Busenbaum *suprà, n. 12.* & *segg.* Circa sextum iam

Aſſertio 6. circa §. 12.

23 Dico sexto: non esse rationem dubitandi, si nullum laboris pretium tribuatur pro confectiõne & venditiõne; & laboris quidem inuoluntarij, ac defatigatiõnis pleni. Est insuper lucrum cessans, quia sic laborans sibi poterat vilius laborare, unde & addendû ex eo titulo. Quia verò non semper vendendi opportunitas esse solet, & idè sine lucro distrahitur aut bibit, non bibendum alijs; inde etiam restituendi nascitur obligatio quia quod bibit perinde est acti vt inutile funderetur, cum necessitati non seruiat, sed superuacua voluptati in præiudicium animæ & corporis redundanti. Septimum affine est postremum, circa quæ

Aſſertio 7. circa §. 13. & 16.

24 Dico septimò: obligationem esse manifestam, nec solum ad restituendum quod ex pretij habetur excessu, sed etiam genus illud captiuitatis debet pretio compensari: sicut enim seruus pretio æstimabilis est, ita & genus quodlibet feruitutis quale hic dispicitur, cum nequeant missili inde exire, & si id attentent, magna suâ molestiâ, & seruilis tractatione ab intento reuocantur. Nihil autem ita legibus Regum nostrorum cautum, quàm vt Indi in suâ libertate plenissimè conferuentur, de quo diximus *Tit. 1. cap. 11.* Circa octauum tandem

Aſſertio 8. circa §. 14. & 15.

Dico octauò, statim restitutionis onus apparere, & philosophandum iuxta dicta: nam & merces plenè soluenda, lucra cessantia compensanda: si mors ex cæli intemperie obtigerit, iam circa *Quartum* dictum & iuxta resolutiones istas in alijs est conscientie oneribus, si de illis deponendis agatur, discurrendum. Quod vtiā sic eueniat vel paucis, vel paucissimis, non quidem cum Zachæo reddentibus quadruplum, si quid aliquem defraudarunt; hoc enim quis speret in *presenti saeculo nequam*, sed vel tantundem, sine quo *omne pondus, & circumstantia peccatum*, neque in hoc saeculo, neque in futuro, currentibus licet saeculorum saeculis, dimittendum. Prò miseram & lamentabilem cæcitate, sic lucris hærare caducis, vt æterni regni cum tormentorum austario fiat numquam reparanda iactura. Sed alia eorum onera persequamur.

Galat. 1. v. 4. Hebr. 11. v. 1.

CAPVT IV.

Quaedam alia Indicorum Prætorum conscientia onera percurruntur.

De negotiantibus pecunia Regiâ, & Parochorû stipendia reparandis.

25 Grauiſſimum certè illud, Regiâ pecuniâ ex tributis collectâ, & in arcibus pro eo deputatis, iuxta legum præscripta, reponendâ, ad contractus vti. Quod quidem honestari nequit ex quocumque prætextu, sicut de Regiis Officialibus dictum *Tit. præced. Cap. 2.* Non esse autem restituendi obligationem, dictum *ibidem*: pro quo & videri potest Card. Lugo Tomo 1. de Iustitiâ *Disp. 17. num. 49.* Cui aliud annexum est, Parochis scilicet stipendia opportunè non solui, quæ cum tributis, & veluti eorum portio, ad hunc, qui primus dicitur, effectum, exiguntur. In quo quidem grauius peccant, iuxta receptissimam doctrinam, cum sit notabilis dilatio solutionis; & licet Parochi conuicere soleant, id certè inuiti præstant, neque ad suprema tribuna lia audent deferre querelas, ne eos hostes infensissimos patiantur. Si quod autem dampnum ex dilatione obueniat Parochis, compensationis viget obligatio, iuxta receptam doctrinam, pro quâ P. Lessius *Lib. 2. Cap. 16. num. 33.* Ab hoc autem onere communiter sunt Prætores immunes, quia nullus est qui damna requirat Parochus sibi reparari; cum omnes satis fortunatè secum agi arbitrentur, si quod sibi est iuxta Regiam taxationem debitum contigerit obtinere.

Vt peccat in locum tenentium resignationes.

Eorum officium vendi non possit.

26 In eo insuper eorum grauatur conscientia, quod locum tenentes sine personarum delectu constituunt, solo maioris pretij interueniente respectu; unde accidit vt Indorum vexationes accrescant prauiorum hominum potestate. Et quidem tales Vicarij constitui nequeunt, nisi necessitas, aut magna utilitas vigeat, quæ ad Indos spectet, pro meliore ipsorum gubernatione; cum manifestum sit multiplicatis iudicijs, Indorum etiam multiplicari molestias, qui vix possunt vnus Prætoris super capita impositi onus sustinere. Deinde si tales locum tenentes immites, avari, & lassui homines sint, nihil est aliud eos in regimine isto constitui, quam lupum regendis ouibus applicari. Vnde peculiaribus legibus cautum est, ne in oppidis Indorum locum tenentes sint, de quibus Curia Philippica *pag. 19. num. 7.* Præterquam quod talia officia vendi nequeunt, nisi à Rege. Cum enim Regio nomine iustitiam administrant, & sic virgam Regiam portent, ac titulum accipiant, dum per Regias habentes vices approbantur, eorum officium vendi nequit, sicut neque alia, de quibus dictum *Tit. 3. Cap. 5.* & ita tenet P. Thomas Sancius Tomo 1. *Consiliorum Lib. 2. Cap. 1. Dub. 38. num. 19.* Videndus etiam P. Lessius *Lib. 2. Cap. 32. num. 29.* & Remigius *Tract. 5. circa Octauum Preceptum. in examine Prætorum. num. 9.* & licet P. Sancius addat *num. 20.* quod si Prætor committat alicui actum, quem per se exercere potuisset, de diuidendo luero possit cum eo pacisci, vt cum Alguacellis de parte executionem, quia ius habet ad totum lucrum, & sic nulli facit iniuriam parte

illius reseruata, vt docet Aragon. 22. *quæst. 63. art. 3. sub finem.* & Recentiores alij dicentes sic esse vsu receptum, & in Regio Castellæ Senatu circa hoc dissimulari, licet contrarium legi sit, quæ prohibet locare directè, aut indirectè quod nec ipse P. Sancius admittit, quidquid dicat Auiles: quia hoc non est genus locationis, sed commissio actus, quem per se posset Prætor exercere. Licet inquam hoc ita sit, in casu nostro alia est ratio, quia respectu officij talis nulla est venditione facultas, neque Regis aut aliorum vices eius gerentium dissimulatio: plenaque iustitiæ administratio, & non specialis commissio, vt duo videantur esse Prætores, unde est ratio discriminis manifesta. Quod si pura esset commissio respectu actus à Præatore factibilis, non esset necessarius titulus. Ex quo fit officium tale vendi non posse, sicut neque posset quis officium Prætoris vendere sine Regiâ facultate. Et quidem si venditio officiorum talium esset licita, non deberet Rex salarium assignare Prætoribus, quia ex talibus venditionibus plus certè possent acquirere ad suam sustentationem, quam ex salario ipsis obueniat: unde immeritò grauarentur Vasalli ad contributiones pro tali effectu perpetuas.

27 Videtur autem restitutionis onus instare: cum enim vendant id, quod non est iustum, sed Regis, ad hunc debet emolumentum tale pertinere: nec enim est fructus industria, sed rei ipsius, officij nempe: fructus autem rei ad dominum pertinent, iuxta communem Doctorem innixam luri sententiam, §. *Is verò. In fine. de rerum firmantibus diuisione.* Hinc qui torquem alienam locauit, aut equum &c. ad restitutionem tenetur, vt videri potest apud P. Lessium *Lib. 2. Cap. 12. n. 114.* P. Becano *Quæst. 31. de Restitutione. & Bonacina Tomo 2. Disp. 1. de Restitutione. Quæst. 3. Puncto. ult. §. 1. num. 4.* qui plures alios adducit. Nec valet si dicatur Regem non venditurum talia officia: quia eo stante obligatio est eadem, vt videri apud Citatos potest, & apud Card. Lugo Tomo 1. *Disp. 17. num. 59.* iuncto *num. 50.* propter eandem rationem. Neque item si dicatur turpem esse venditionem: nam & fructus sic perceptos restituendos bene ostendit citatus Cardinalis *num. 56. & 58.* cum P. Tomâ Sancio *Lib. 2. Operis moralis Cap. 23. n. 102.*

An ex venditione oriatur obligatio restitutio- nis. Et pro parte afirmante fundamenta.

28 Nihilominus onus hoc non videtur illis vt omnino certum imponendum: excusari enim possunt ex eo quod Rex talia emolumenta non curet, nec de illis sit lex. Quâ ratione Diana *Parte 2. Tract. 17. Resolut. 50.* excusandum censet Rusticum, qui subreptum à se mulum hominis prædiuitis per multos annos locauit. Quod ex P. Lessio hauscit *num. 114. citato.* Tum etiam quia probabile est non esse obligationem restitutionis, quando dominus rem non erat locaturus, vel ad fructum quomodolibet ferendum applicaturus: ex hoc enim nihil minus habet, quam esset, si res vacaret, habiturus. Pro quo, Auctores apud Citatos occurrunt. Item, quia non planè apparet emolumentum dictum ad industriam non spectare, quia neque rei naturalis est neque artificialis, sed officij, de quo leges non loquuntur: & saltem dici potest, ad extraordinariam industriam pertinere, iuxta doctrinam

Negotium vt probabile proponitur, iuxta receptas doctrinas.

Navarri, & Malderi apud Dianam ſupra & Cardinalem Lugo num. 51. quibus addi poteſt eſſe quidem fructum rei alienæ, ſed voluntariæ ipſi Prætori, & ſic quodammodo ſuæ; vnde ad induſtriam videtur ſpectare, per quam tale eſt officium conſtitutum.

*De obli- gatio reſtitu- tionis ra- tionis ab- ſentia lon- gioris.*

29 Ex huiusmodi autem Vicariorum deſignatione aliud ſolent conſcientiæ grauaem e- mergere, quod ſcilicet Prætores ſuas deſerentes Prouincias, ad ciuitates diuertunt, vt orien- tur ibi, aut verò etiam negotientur, idque per dies plures, ſalarium nihilominus integro potien- tes. Quod quidem ſi per dies paucos accideret; poſſet quidem tolerari, vt ſi ad feſtum aliquod, vel quid ſimile, etiamſi ad eorum pertineret commodum; talis enim abſentia pro præſentia reputari poteſt, quia ſic in iure diſponitur. *L. Quidquid Inſtit. de regulis iuris: ideoque breui uerſa mulier, nec diuerſiſſe videtur.* Si autem abſentia diuturna ſit, non videtur quomodo iuſtificari poſſit, & ſalarium plene leuari ceſſante labore, cui illud reſpondet, nec poteſt fieri ſatis ex eo quod per Vicarium cura huiusmodi ſuppleatur: non enim Vicario, ſed illi officium traditum eſt, & conſequenter cura eidem annexa: cuius eſt pro eo electo induſtria; pro quo videnda quæ in ſimili adducit Dom. Solorzanus lib. 2. cap. 25. num. 23. & ſeqq. Cùm etiam debeat ſuper ſuo vi- gilare Vicario, attendens an rectè ſuo fungatur munere, an Parochij in iis, quæ ad fidem promouendam ſpectant, opportuna tribuantur auxilia, an ebrietati fomenta multiplicatis taber- nis miniſtrantur. Quæ quidem indubitate ſunt, vnde & proculdubio aſſerendum in abſentis ta- libus grauius & cum reſtituendi ſalarij obliga- tione peccari, & pro comprobatione ſtat præ- terea Pragmatica Regia Matrili edita 7. Februarij. Ann. 1535. Carolo Quinto regnante, de qua Aulæ cap. 1. Prætor. verbo ſalarium, num. 12. P. Fragoſus Tomo 1. pag. 421. num. 63. in quâ ex cauſâ iuſta ſit copia Prætoribus abſentandi ſe per 90. dies: quod ſi amplius abſuerint, non ha- bendos pro talibus. Adduntque quod ſi Recto- res ciuitatis faciant facultatem ſe abſentandi Cor- rectori ultra illud tempus 90. dierum; non lu- crabitur ſalarium, ſi abſit ultra illos dies; poterit tamen ſalarium à Rectoribus repetere. Pro quo auctores videndi apud eòſdem. Addit tamen P. Fragoſus num. 64. ante ſententiam non eſſe pri- uandum ſalarium, quia lex eſt pœnalis, quæ ad obli- gandum requirit ſententiam ſaltem criminis de- claratoriã. Pro quo Auctores congerit, & eſt fanè receptiſſima ſententia. Verùm non video quo- modo id conſonet dictis ab eodem, num. 61. iux- ta irreſragabilem Doctorum ſenſum, quos ibi- dem allegat, & textus Iuris expreſſos, quod ſci- licet ſalarium non debetur Officiali, ſeu Iudici, pro tempore, quo non ſeruit, *Ac proinde, ſi quid accipiat, non poterit reuocare.* Quæ ſunt Citati Au- ctoris verba; ergo ante omnem ſententiam obli- gatio reſtitutionis perſtat: ſicut in operario quo- libet, cùm merces labori reſpondeat: & P. Molina, ac P. Sancius quos ille citat de pœnã amiſſio- nis officiorum loquuntur, non de ſalarium, vt vi- deri poteſt apud illum diſput. 96. Ver. Quod dictum eſt, & hinc lib. 2. Operis moralis Cap. 22. num. 20.

*Ex Regia Pragmaticâ quæ ſpec- ialiter obli- gatio.*

*P. Fragoſi doctrinam non con- quens.*

niliſi fortè ſalarij pœna imponatur illi, qui ſeruit, tunc enim alia ratio eſt. Cùm ergo Doctores allegati, à citato Auctore in eo ſenſu loquan- tur, iuxta eundem eſt etiam ille accipiendus, vt eius ſibi conſtare doctrina poſſit & ex dictis con- ſtat non eſſe excuſationem ſufficientem ſi dicatur Prætorem abſentem per Vicarium ſeruire, nam in caſu, de quo Pragmatica loquitur, mani- feſtum eſt ciuitatem non relinquendam ſine aliquo, qui locum Prætoris teneat, & tamen ſalarij & officij amiſſione puniatur.

30 Eſt inſuper aliud, in quod conſcientiæ Prætorum impingunt, dum ea, quæ ad victum ſibi neceſſaria ſunt, minori pretio ab Indis extorquent, & fortè aliquando nullo pretio ſolu- to. Contra quod malum zelus Catholicorum Regum iam pridem armatus, varias pro eo amo- uendo ſchedulas expediuit, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum lib. 4. cap. 2. num. 19. & 20. & in Politicâ lib. 5. cap. 2. pag. 757. col. 2. Moſ enim inualuerat, vt quædam ex iis gratis daren- tur, cùm tamen dantibus nihil ingratius; alia minori, & quidem pro iuſti medietate. Id quod & cum Parochis agebatur. Sed quia contra iuſtitiam, & humanitatem, ad iuſtitiam eſt & humanitatis regulas reuocatum. Per leges qui- dem; ſed quod de neceſſitate dicitur, quod ſcili- cet lege careat, id etiam de auaritiã pronuntian- dum. Comedant ergo Prætores lautè, ſplendi- dè, opiparè, & eorum menſæ Regias exarquent, & multoties antecedant: ſi tamen vexatione Indo- rum eſt, dum pretia iuſta cibariis auferuntur, di- uitias, quas deuouarunt, euoment, & de ventre eorum extraher illa Deus, vt Sophor loquitur apud Job. 20. v. 15. vbi & illud Prætor quiſque ſibi dictum accipiat. *Paris eius in vtero illius vertetur in ſel aſpidum intrinſecus v. 14. & de obliga- tione reſtitutionis adeò circa hæc conſtat, vt ſuperfluum omnino ſit in eo probando vel paullu- lum immorari.* Tob. 20. v. 15. & 15.

*Ex rebus ſine pretio acceptis, aut certe uiliori.*

*In Syndica- tum quan- ta conſcien- tiæ graua, vna.*

31 In Syndicatu alia ſunt, quibus Præto- rum conſcientiæ grauiſſimè deprimentur, dum ſcilicet ſucceſſor in officio deceſſoris ad Syndica- tum iudex conſtituitur. Cùm enim exoptet ipſe officij, quod auſpicatur, exitum habere felicem, id cum deceſſore agit, quod ſecum faciendum à ſucceſſore deſiderat. Sic miſeris Indis, quæ ſibi ſunt debita recuperare non licet, teſtibus timor incutitur; omnia malefacta diſparent, & ſen- tentia cùm egregiã Syndicati laude profertur, ob rectè adminiſtratam iuſtitiam, vt dignum planè ſit, quem Regia Maieſtas pergat maioribus mu- neribus honorare. Ad hoc autem eliciendum e- logium quid non agat Syndicatus? ſed omnia adeò in propatulo malitiã habent, vt non ſit opus illa exquisitiùs declarare. Falſorum teſtium inductio, notiſſimum malum eſt, ad quod multa, & ſere omnia huius generis reducantur, de qui- bus dictum Titulo 4. Cap. 18. ſ. 1. & 2. Inde violata iuſtitia, decuſata ſententiã, & tribuna- lium irreparabilis corruptela; dum omnia auari- tiæ imperio diſponuntur. *Thi ſunt iſti, ſcelerata auaritia, fructus Sancti Aſterij verba ſunt, homil. 3. tuo impuſſu, & incenſo filius parentis ini- micis denuntiat; tu complex terram latronibus, & homicidis, mare pyratris, vrbes raris, atque tumulti- bus, forum, ac tribunaalia falſis teſtibus, Syrophantis,*

*Ex auari- tiã imperio, cuius fructus re- ceſſantur. S. Aſterij.*

proditoribus, aduocatis, ac iudicibus, eò propendenti- bus, quò tu pertraxeris. Auaritia mater inæqualita- tis, immiſericors, inhumana, crudelis. Hæc ille, & alia, multis Indicorum Prætorum adaptanda: pro quibus hæc diſeruiſſe ſit ſatis, ad ea enim poſſunt quæcumque alia, quibus opprimi eorum conſcientiæ ſolent, reuocari, vnde ad alia.

Vide Indicem Verb. Bene meriti Conquiſtores, Conſilium Regium Indiarum, Officiales Regij, Officium, Prærex, Rex, Tributa, Vendita, & alia, vbi circa Præ- tores, & Gubernatores, Indorum multa occur- rent.

# TITVLVS VII

## DE INDORVM COMMENDATARIIS.

*Commendatarij ſunt qui dicantur.*



DE illis Dom. Solorzanus fuſè ſatis, & eruditè diſſeruit, toto ſcilicet Poſterioris Tomi ſecundo libro, & Tertio Po- liticâ. Quia tamen ferè omnia ad forum exterius ſpe- ctant, & feudalia iura concernunt; illis relinquenda; qui forenſibus cauſis defendendis intenti, obligationes conſcientiæ non attendunt, niſi ſecundum generalem illam rationem Iuſtitia ius ſuum vnicuique tribuentis. Nos ergo muneri vacantes noſtro, & iura conſcientiæ ventilantes, quæ circa Commendatarios occurrere eius generis poſſunt, non equidem multa, ſed vtilia proponamus, explicatione nominis præmiſſâ. Sunt enim Commendatarij Indorum illi, quibus ob ſpecialia merita ius confertur, vt à certis Indorum populis, tribubus, aut familiis tributa exigere poſſint, quæ Regi debentur, ſub certis conditionibus, quales apponi in feudi conſeſſione ſolent. Di- cuntur autem Commendatarij, quia Indi eorum tutelæ commendantur, defendendi ſanè, & in Chriſtianis moribus promouendi. Quod ſi faciant, confidenter poterimus eorum animas Creatori earum Omnipotenti commendare. Pro illis ergo ſit

### CAPT I.

#### De Iuramento Fidelitatis, & alio- rum, ad cuius Commendata- rij præſtationem obligantur.

*Iuramenti eorum ma- teria.*



VRant illi ante inueſtituram, ſeu miſſionem in poſſeſſionem, ſe fidelitatem Regi ſeruaturos, & iuge obſequium in omnibus; ac pro eo, & regni defenſione, ac præfertim Prouinciã, in quâ beneficium Commendæ aſſecuti ſunt, ſe aduerſus omnes homines de mundo militaturos, prælioque cum equis, & armis adfuturos, quoties ad id fuerint aduocati; Circa quod Dico primò. Iuramentum hoc ad id obligat, quod in more poſitum, & iuxta probabiles opi- niones, quocirca talem obligationem apud Do- ctores occurrunt, de quibus Dom. Solorzanus lib. 2. cap. 23. & in Politicâ lib. 3. cap. 4. Itaque Commendatarij pro illo anxij eſſe non debent: quod enim ad fidelitatem attinet, nihil importat aliud, quàm ſub Regis ſe ſubicctione futuros; eum & non alium pro tali recognoſcendo, ne- que contra ipſum aliquatenus inſurgendo. Hoc autè nullam in illis ingenerare debet anxietatem, quando etiamſi Commendatarij non eſſent, eo eſſe animo deberent, vt ſunt omnes Regij va- falli, quibus fidelitas vitã ipſã charior eſt, ſingulã illã Hiſpani ſanguinis prærogatiua in iis, qui ad primitiuam Coronam ſpectant, de quibus ce- lebris ex noſtris Poëtã illis verſibus, quos pueri hauiſimus: Vega.  
*El que ſuere eſpañol no lo conſenta,  
Y mas el que ha nacido Caſtellano,  
Y en las reliquias, y valor ſequenta,  
De aquel ſanoſo Principe Aſturiano.*  
Quoad alia verò vix eſt aliquod, quod eſſe one- roſum queat; equum enim, & arma habere, vt ſi vocatus fuerit, prælio adſit, minime poteſt eſſe moleſtum iis, qui ad equeſtrem ſe claſſem ſpectare ſciunt, & iactant; vnde & regni defen- ſio nequit illis eſſe grauis, ad quam nobiles præ- fertim prouocantur; quia plus habent, quod poſ- ſint amittere, vnde ipſo naturæ pondere, ad id videtur incitari. Et quidem aut commodè ad- deſſe defenſioni poſſunt aut non. Si Primum: magni faciendã occaſio ſtrenuitatis, induſtriæ, & fortitudinis oſtendendæ, ſicque amplificandi merita, vt maiores à Rege honores & vtilitatum augmenta conſequantur. Si Secundum: mittere alium pro ſe poſſunt circa quod Dom. Solorza- nus ſapienter diſſerit Cap. 23. citato num. 96. & ſeqq. & Cap. 25. Politicæ. Id autem quod addit, num. 97. feudatarium neque per ſe, neque per ſubſtitutum ſeruire teneri, ſi paratus ſit ſoluere domino dimidiam partem redditus feudi vnus anni, contra fidem iuramenti non eſt, quia, vt dixi, iuramentum obligat ſecundum receptas Do- ctorum

*Aſſertio 1. Nihil one- roſum in illo.*

*Etiã ſana fidelitatis prærogati- va.*